



V 00th

alt. Nr. 209.

Fürstenj. n. 3 andere Schriften

P. VIII. 109.



24

DISPUTATIONUM THEOLOGICA  
RUM DE PRÆCIPUIS FIDEI  
CHRISTIANÆ ARTICULIS,  
XI.

DE COENA DOMINI,

*Quam*

In inclutâ Leucoreâ  
Regente ac dirigente auctore Christo,  
SUB PRAESIDIO

VVOLFANGI FRANZII,

S S. Theologiæ Doctoris & Professoris  
in Inclyta Academia Wittebergen-  
si publici.

*Collegis examinandam proponit*

HIERONYMUS NYMMANUS VVite-  
berga - Saxo

*3. Cal. Maj. horis consuetis.*

Chrysoft. Hom. 82. in Matth.

*Credamus ubiq; Deo nec repugnemus ei, etsi sensui & cogitatio-  
ni nostra absurdū esse videatur quid dicit; verba ejus teneamus,  
nam verbis ejus defraudari nō possumus, sensus verò noster deceptus  
facilimus est: Illa falsa esse non possunt; hic sapius atq; sapius  
fallitur. Quoniam ergo ille dixit, hoc est corpus meum;  
nullā teneamur ambiguitate; sed credamus & fidei oculis  
id perspiciamus.*

VVITTEBERGÆ,  
Typis Johannis Gormanni. Anno 162.



כאלהים  
DISPUTATIO  
DE ΕΥΧΑΡΙΣΤΙΑ  
Thesis I.

**I**ngulis temporibus DEUS Ter: Opt. Max: verbo promissionis in Ecclesiâ certa etiam addidit sacramenta, quæ sint & esse debeant secundum *August. lib. 2. de Doct: Christ: c. 3. & lib. cent. Faust: Manich: c. 16.* verba visibilia: secundum Paulum verò Rom. 4. § II. σφραγίδες τῆς διακρίσεως τῆς πίστεως, ut ijs homines reddantur certiores, & in promissionibus divinis obsignentur.

II. Horum σφραγίδων seu Sacramentorum N. T. quamvis Romanenses septem enumerent, eaq; ipsius Christi institutione in *Conc. Trident sess. 7, c. 1.* attribuire non erubescant: Attamen duo tantum in N. T. sacramenta esse, superiori συζητήσεται contra ipsos probatum fuit; nempe Baptismum, qui circumcisioni successit; & Cœnam Domini, quæ in locum agni Paschalis instituta fuit.

III. Falsum enim & plane inauditum est, plura præter hæc duo in Vet. T. sacramenta, specialiter sic dicta, fuisse, quemadmodum solus *Ursinus in explic. Catech. questio 18, de sœdere § 4, & q. 66, § 5.* statuit.

IV. De priore Baptismo nimirum, ibidem quoq; peractum: nunc arctissimâ ordinis συνέχεια sequitur, ut de posteriore, Cœnâ videlicet Dominicâ, paucis, prout methodicus hic tractandi modus requirit, agamus; atq; errores hæreticorum præcipuos, quos circa præsentem hunc articulum fovent, examinemus.

V. Res profectò summè tam utilis quàm necessaria. Non enim est λογομαχία tantum, uti quidem *Zanchius lib. de dissid. in Cœn. D. & Gualt. in pref. ep. ad Rom.* scribere non dubitant. Non est dissensio levicula, qualis *Curao in exeget. pag. 297, Lampad. in censur. ubi quit p. 28.* videtur; dum absq; præsentissimo animæ & salutis periculo, quid hic sentiendum, ignorari nequeat. Non est nuda Theologorum

altercatio, quasi illi inanis gloriæ cupidi, ex merâ Φιλοκενία, de apicibus saltem Theologicis, inter se digladiantur, quemadmodum hanc disputationem hodierni Politici indigitare non verentur. Quibus autem nos responsi loco nihil aliud reponimus quam illud B. Chrysostomi: Cum hæreticis dissidia habere non est contentionis, sed pietatis. Ergo ad rem.

Varia nomina: cænes.

VI. Sortitur initio Sacramentum hoc varias ac multiplices, tum in S. litteris, tum etiam in S. Patribus appellationes.

VII. Christus ipse nominat Luc. 22, 20. διαθήκην id est testamentum, quia de eo, quod post mortem fieri volebat, iusta debebat esse sententia. D. Paulus 1. Cor. 10. § 21, vocat τραπέζην κυρίου: Cor. 11, § 20. δείπνον κυριακόν 1. Cor. 10. § 16. κοινωνίαν, quia qui hoc sacramento utuntur, participes redduntur corporis & sanguinis Christi, atq; sic veniunt in societatem Christi, & mutuam inter se actionem, *Damasc. lib. 4. ὁρθοδ. πρὸς. 6. 14.*

IIIX. Apud Patres, ut *Tertull. in Apol. 6. 39.* dicitur ἀγάπη seu ἀγάπης, ex fine suo haud ultimo: *Inst. Mart. in 2. Apol. Eccl. hier. συναξίς*, partim quia est nervus publicorum congressuum & symbolum mutux conjunctionis Christianorum; partim quia in peragenda cænâ conveniebant. 1. Cor. 10. § 20. Item εὐχαριστία, tum quia Christus cænâ hanc instituit εὐχαριστήσας *Matt. 26. § 27. Marc. 14. § 23.* tum etiam ut sit ritus gratiarum actionis pro redemptione generis humani, sine quâ quoq; rite celebrari nequit: *Hilar. lib. 8. de Trin. & Tertull. cont. Marc. l. 1. & 4. μυστήριον δεῖον*, quia supra captum & conspectum humanæ rationis hæc actio longissimè est posita.

IX. *Optatus Milevitanus, August: l. 10. de civ. Dei c. 6. & passim.* Latini sacramentum corporis Christi, Item Sacramentum Altaris indignant; quo modo etiam à *Luthero in art. Smalc. insignitur*, citra tamen omnem superstitionem ac errorum pontificiorum approbationem. Quibus remotis symbolum *August: vocabulum Misse* quoq; cum veteribus retinuit, qui ita nominarunt 1. propter peccatorum remissionem, 2. propter Catechumenorum & Excommunicatorum (uti tunc moris) dimissionem.

X. Communiter vero, & in frequenti usu receptum est, ut cœnam Domini nostri JESU CHRISTI, seu cœnam Dominicam

nicam ex 1. Cor. 11. § 20, appellemus. Cœnam quidem à primæ institutionis circumstantiâ, quæ vesperi inter cœnandum facta est, Matth. 26. § 20. 1. Cor. 11. § 23. Gregor. Magnus Hom. 36. in Evang. hanc addit rationem, quia post prandium cœna, post cœnam verò convivium nullum restat. Dominicam autem vel à causâ efficiēte, seu institutore: vel à fine, nam ideo instituta ut ad memoriam Domini celebretur: vel etiam à tempore, quod diebus Dominicis celebrari consuevisset, Act. 20. § 7. Atq; tantum de nominibus hujus Sacramenti: Nunc ad definitionem.

XI. Est autem cœna Domini alterum Novi T. Sacramentum, à Christo jam morituro solemniter institutum in diversorio, quo à ministerio suo porrectis & sumtis elementis panis & vini, simul edendo & bibendo mystice quidem, realiter tamen corpus & sanguis Christi, in ipsius, omniumq; ejus beneficiorum recordationem & efficacem fidei & promissionum Evangelicarum obsignationem sumuntur.

Definitio  
Cœna.

XII. Definitum est Cœnæ Sacramentum cujus vocem nos hic non γενικῶς, quatenus scilicet omnes res seu actiones divinitus mandatæ; vel peculiare & mysticum aliquid adumbrantes; immo omnis cultus in verbo Dei præcepti, sacramenta appellantur, accipimus: Sed εἰδικῶς & propriè, quatenus actionem significat sacram, à Christo institutam, ubi per certum & expressum Dei verbo elementum vel signum visibile, invisibilis gratia, peccatorum remissio, salus & vita æterna confertur, confirmatur, obsignatur. Vid. Comp. Theol. Pelargi.

XIII. Nominamus autem cœnam alterum N. T. Sacramentum ad differentiam Baptismi, qui primùm, seu ut usitatè appellari consuevit, initiationis Sacramentum est, quo vel fidelium baptizatorum liberi, vel etiam adulti seu κατεχόμενοι Christum, ex prædicatione Evangelij agniti professi, membra vera veræ Ecclesiæ constituuntur; ac tanquam cives aut domestici eidem inscribuntur, quo Christo prius induto, altero hoc demum Sacram: vulgo confirmationis, omnibus ejus beneficijs, tandemq; divinâ ac cælesti hæreditate participes fiant ac reddantur. Nam ut in baptismo renascimur; ita renati cœnæ D. nutrimur, & in Christo veluti alimur, adq; vitam æternam educamur.

A 3

XIV. De-

XIV. Definitio hæc causalis est, quare omnes cænæ partes diligenter sunt expendendæ. Illæ autem sunt vel externæ nempe efficiens & finis: vel internæ, materia & forma.

XV. Causa efficiens Cænæ Dominicæ aut ut instituens, aut ut administrans considerari potest: Illa principalis, hæc famulans seu administra dicitur.

XVI. Causa efficiens principalis ac instituens non est Angelus quispiam, vel papa Romanus, Christi, si Diis placet, vicarius, in C. Apostolica, 2. de sent. & re jud. in 6. penes quos non est tale quid sancire; sed Dominus noster Jesus Christus *Ἰεσους χριστος*, Novi T. sponsor, ac fœderis gratiæ auctor, in quo placuit æterno patri universa recolligere, Eph. 1. § 10, qui splendor gloriæ & figura substantiæ patris, portans omnia verbo virtutis suæ Heb. 1. § 3; hic est summus sacerdos Heb. 3. § 1. Rex æternus Ecclesiæ Psal. 2, § 6, quam omnipotens Pater cælitus nobis ad audiendum commendavit, Matth. 17, § 5.

XVII. Talis cum hujus cænæ auctor, qui plenus veritate, Ioh. 1. § 14; immo veritas ipsa, Ioh. 14. § 6, in cuius ore nunquam fuit inventus dolus, 1. Pet. 2, § 22. nec non omnipotens, Matth. 28, § 18. qui quæ dicit, revera quoq; ipso actu præstat ac præstare potest in cælo & in terrâ: hic monemur in ipso quasi limine constituti, impium ac sacrilegium esse nefandum, ipsius Christi verba, dum ea stultâ ac corruptâ nostrâ ratione intelligere non valeamus, vel indubium vocare; vel argumentis è natura petitis impugnare; vel glossamentis frivolis, omni scripturarum præsidio carentibus corrumpere, sicq; Christo virtutem perficiendi ea, quæ ipse ordinavit, derogare. Si enim ejus sermo, inquit Ambros. c. 9. de initiandis, ex nihilo potest facere, quod non erat, quomodo non posset ea, quæ sunt, in id, quod non erant, mutare? Etenim potentior est omni lege corporum, Tertull. lib. de resurr. carnis.

XVIII. His igitur Christi verbis, ut Dei altissimi verbis pij simplici fide credunt & adhærent, quia Deus est veritas, à veritate autem cadere, est à Deo cadere, & veritatis negatio est à Deo prolapsio, ait Dionys. lib. de divin. nomin. c. 8. Animus verò malignus, uti habet Cyrill. lib. 4. cap. 13. in cap. 6. Ioh. quæcunq; non intelligit, statim ut falsa per arrogantiam rejicit; nulli cedens, nec aliquid supra ipsum esse existimans, quales Iudæos fuisse comperimus, qui



qui remulenter exclamabant, quomodo potest hic nobis carnem suam dare? Hæc Cyrillus; quæ verba in Calvinianos rite ac scite quadrare, tam verum, quam verissimum.

XIX. Solemniter autem Christus edito jam agno Paschali, sublatisq; ac abrogatis prius omnibus tum sacrificijs, tum Sacramentis Veteris T. tanquam umbris, (corpus namq; dum aderat, ad quod illa respectum habebant, Col. 2. § 1: Hebr. 10. § 1,) cœnam hanc instituit, ut & nos magnâ reverentiâ & devotione ad ejus celebrationem accedere debere moneret, *Ambros. in orat. ante Miss. dicenda.*

XX. Et hæcenus de causâ efficiente principali sive instituyente: Antequam verò ad causam administram nos conferamus, placet prius hic circumstantias *Temporis & Loci*, cum in definitione nostrâ eidem propositæ sint, *παρὰ Πυαδινῶς* inserere.

XXI. Tempus igitur quo convivium hoc sacrum à Christo fuit institutum, est, cum jam jam instaret ipsius passio, ac ille moriturus esset. Paulò siquidem ante mortem suam illud ipsum instituit. Matth. 26. § 29. Marc. 14. § 25. Luc. 22. § 18.

XXII. Docemur hac temporis circumstantiâ, ut ea omnia, quæ hic dicuntur & peraguntur, non levis alicujus momenti, sed summè seria, gravia ac ardua esse, persuasissimum habeamus, ac proinde eò diligentius pensitemus ac ponderemus.

XXIII. Solent enim præ alijs ea verba & acta, quæ à moribundis proferuntur ac peraguntur, religiosè, ab Ethnicis quoq; observari, nec facile in disputationem vocari; testatoris etenim verba semper præsumuntur clara & perspicua, quæ exactè voluntatem ipsius annotent, ne postmodum lis relinquatur hæredibus.

XXIV. Quare juxta JCTorum regulas, voluntatis quæstio, (scilicet conjecturata) in testamentis admittenda non est, *l. ille aut ille, 25. § un. de Legat. 3. Item: Quod testator expressè non loquitur, velle non præsumitur: quorsum enim nomina, nisi ut demonstrent voluntatem dicentis? Equidem non arbitror quenquam dicere quod non sentiret. Nemo existimandus est dixisse, quod non mente agitaverit. Etsi prior atq; potentior est mens dicentis, tamen nemo sine voce dixisse existimatur uti habetur, l. Labeo 7. § Servius & D. d. supp. Legat. Nec aliter à significatione recedi oportet, quâ cum*  
*manifeste*

manifestum est aliud sensisse testatorem, l. non alit ex 69. D. d. Legat. 3. unde communis & vulgaris regula apud I C Tos: In Testamen- tis velle quisq; creditur, quod verbis exprimit. Hinc de his contro- versijs, quæ ex testamento proficiscuntur, neq; transigi, neq; exquiri veritas aliter potest, quàm inspectis, cognitisq; verbis testamenti, l. de his 6. D. de Transaction. His consentit D. Paulus Gal. 3, 15. Heb. 9, 17.

XXV. Quod si ergo J C Ti cum Apostolo tantam in testa- mentis adhiberi volunt religionem, ut scilicet verba non aliter accipiantur quam ut sonant: quanto magis illa exercenda est, in- verbis testamenti filij Dei, paulò ante mortem instituti. Si enim hæc Christi verba non κατὰ τὸ ῥητὸν intelligenda, quis per Deum immortalem vix divinando assequi potest, quænam interpretatio locum habeat?

*Locus*  
*An egrotis*  
*quoque in*  
*privatis æ-*  
*dibus cæna*  
*dari debe-*  
*at. Aff. 1.*  
XXVI. Locus, quo cæna hæc instituta est, non fuit templum Hierosolymitanum, vel synagoga aliqua Iudaica; sed palatium quoddam diversorij lapidibus stratum. Quare ergo cum *Ant. Sadeele Tom. 3, pag. 143. Ursino in Cat. q. 66. § 2. Treecat. in loc. Com. p. 210.* alijsq; Calvinianis, an quoq; in privatis ædibus ægrotis, ad cætum publicum venire non valentibus cæna administrari de- beat, ambigamus?

2.  
XXVII. Accedit, quod ubi duo vel tres in nomine Christi congregati, ipse in medio ipsorum, Matth. 18. § 20. Hinc D. Pau- lus Christianorum familias Ecclesiæ nomine, Rom. 16. § 5. 1. Cor. 16. § 22, ad Philem. § 2. cohonestare non dubitavit.

3.  
XXVIII. 3. Nec Deus sua Sacramenta externis vel multitudinis vel loci circumstantijs, præsertim in N. T. ira alligavit, ut propterea animam fatigatam, medicinam & refocillationem ardentissimis gemitibus petentem, defraudari iisdem oporteat.

4.  
XXIX. 4. Id ipsum primitiva quoq; fecit Ecclesia, uti testan- tur exempla, Chrysostomi, Exuperij, Dionysij &c. testibus *Nicephoro l. 13, c. 17. Eusebio l. 7. c. 44.* Quid? quod ipsi Sacramen- tarij personis Illustribus cænam domi decumbentibus porrigunt. Videât proinde quomodo πρωσοπολησίας & animarū auditorum suorum perditionis ac neglectiois vitium in die novissimo eva- dere velint?

6.  
XXX. Sunt hæc rationes tantæ firmitatis, ut ipsi Beza hæc ver-  
ba *Vol*

ba Vol. 1. fol. 256, extorserint: Si sine superstitione atq; offendiculo & cum edificatione Ecclesiae observari alicubi potest, & ita flagitat aegrotorum infirmitas; nolumus ob eam causam Ecclesias scindere.

XXXI. Atq; tantum de temporibus & loci circumstantijs; nunc ad causam efficientem administram.

XXXII. Quamvis enim Christus omnibus hominibus, praesertim vero Ecclesiae suae revera & corporaliter semper praesens sit, Matth. 15. § 20: 28. § 20. attamen eidem visibiliter adesse, sacramentaq; ut in prima institutione dispensare non placuit. Visum ergo ei fuit, hoc suum munus in his terris verbi praedicatoribus & fidelibus Ecclesiae ministris legitime vocatis commendare, quibus propterea claves regni dedit, Joh. 20. § 21: dispensatores mysteriorum divinorum constituit, 1. Cor. 4. 1: & ministros suae virtutis praefecit, Tertull. l. cont. iudos.

XXXIII. Hi namq; quae Christi sunt officij suscipiunt, inquit Chrys. hom. 11. sup. 2. ad Cor. 1. & per hos ut instrumenta activa Christus ea, quae interna operatio Spiritus Sancti in nobis efficit, externe per panem & vinum nobis offert & repraesentat.

XXXIV. Non autem in ijs qualitas, modo officio legitimo, in verbi praedicatione, & sacramentorum administratione legitime etiam fungantur, respicienda est; cum haec efficaciam Sacramenti nihil addat aut adimat, quia sacramentorum auctoritas non a qualitate ministrorum sed institutione, veritate & potestate Christi pendet, uti August. loquitur. Hinc Nazianzenus recte dixit, sicut eadem in certa figura apparet sive aureo sive ferreo annulo facta sit: Sic Sacramenta a ministrorum vel pietate vel impietate non mutantur.

XXXV. Ab his ergo porrectis elementis coena haec accipienda est, non quidem necessario manu, ut Sohnius Tom. 1. Bucanus Loc. 49. q. 33. Trele. lib. 2. Inst. p. 206 & alij autumant; sed vel manu, vel ore accipiantur, res eodem redit, quia est tantum ceremonia accidentalis, in libertate Ecclesiae posita, de qua Ecclesia minimè turbanda, nec scrupuli conscientijs injiciendi.

XXXVI. Verum urgent Dipnosophistae vocabulum τὸ λάβετε. Sed laterem lavant. λαμβάνειν enim vox generalis est, & quemcunq; receptionis modum denotat, ut Joh. 19, 29. & 30; & Gal. 3, 2. dicit Paulus ad Galatas τὸ πνεῦμα λάβετε, num manibus? Nugae.

B

37. Redi-

*An etiam à* XXXVII. Redimus nunc ad propositum. Diximus ante  
*Laico cœna* à ministris Ecclesiæ cœnam debere peragi, proindè nemini extra  
*ritè admi-* legitimam vocationem, qualis qualis etiam ille sit, administratio-  
*strari pos-* nem hujus sacramenti, quacumq; etiam flagitante necessitate con-  
*sit.* cedimus. Hebr. 5. § 4. Tertull. lib. de coron. c. 3.

*Inst.* XXXVIII. Nec tantillum proficiunt adversarij, objicientes,  
nostrates Baptismum à Laico homine, quin & à muliere in summâ  
necessitate administratum, pro firmo ac rato habere. Nam ma-  
*Resp.* gna utrobq; occurrit Sacramentorum disparitas. Illud nisi te-  
merè rejiciatur, in causâ necessitatis absq; salutis damno intermit-  
ti potest. Peccatorum enim remissio, fidei confirmatio ex  
alijs quoq; medijs, pia scilicet baptismi recordatione, auditu ver-  
bi, &c. haberi potest. Hoc verò absq; æternæ salutis præsentissi-  
mo periculo intermitteri nequit; Joh. 3. § 5. Disparitas ergò cum  
sit in necessitate, disparitatem etiam in administratione spontè se-  
qui, quis est qui non videat?

*Modus ad-* XXXIX. Peragi proindè à ministerio cœna D. debet, non  
*ministra-* quidem ad ostendendum, neq; ad circumgestandum & supersti-  
*tionis.* tiosè adorandum, quod idolomania papistica, sine omni totius  
S. Scripturæ auctoritate, facit: sed secundum institutionem Chri-  
sti, hoc est, ut cum elementis panis & vini ad edendum & biben-  
dum datis exhibeatur verum corpus & verus sanguis Servatoris  
nostri. Nam nec sola consecratio, nec sola *δόσις*, verum etiam  
*λήψις* Sacramentum hoc plenè & planè constituunt, & ad realem  
corporis Christi præsentiam necessariò requiruntur: quæ sumtio  
nisi accedat ordinatio Christi non servatur, nec Sacramentum  
administratur, quippè quod, secundum regulâ Lutheri, extra usum,  
qui à Deo institutus est, sacramenti rationem minimè obtinet.

*Quid sit* XL. Liqueat sine Missam Papicularum, in quâ sacrificulus nihil  
*missa pon-* dat accipiendum & manducandum, sed tacitè quædam legit, mur-  
*tificiorum.* murat ac tantum gesticulatur non esse cœnam Dominicam, sed  
scenam profanam, ac lusum histrionicum, quemadmodum missæ  
pontificalis ritus verè scenici ac ridiculosi clarissimè demon-  
strant, quos qui scire desiderat, consulat *sect. 2. Missæ Rem. quod*  
*ex decreto Conc. Trident. restitutum & Pij V. pontif. Rom. jussu editum est.*  
*Et tantum etiam de causa efficiente.*

41. Sub

**XLII.** *Subiectum seu materia circa quam sacramentalis hæc actio* *Subiectum*  
versatur est gemina: *terrena una, cœlestis altera* *ren. l. 4. c. 34. & lib. seu mate-*  
g. c. 4. in sacramentis enim aliud videtur, aliud intelligitur. *August. ria circa*  
& *Beza in 1. Cor. 10.* quarum illud *signum, hoc verò signatum* vulgò *quã duplex*  
dicitur. *est, terre-*

**XLIII.** Rem terrenam nominamus signum, quia signat alteram partem Sacramenti, cœlestem videlicet & invisibilem: Non quidem uti Sacramentarij impiè contendunt planè remotam & absentem, vel ut *Beza* loquitur in colloquio *Bosiazeno*, tam procul ab externis elementis distātem, quam procul distat summum cœlum ab unā terra: Sed præsentissimam & externis illis symbolis unitissimam; h. e. statuimus panem & vinum esse signa non quidem merè *σημαντικά* vel *σημειωτικά*, figurativa vel significativa; sed & *διολικά καὶ πρὸς Φερόμενα* exhibita & conferentia. Emergit hincultrò signandi modum non esse tantum significativum, aut umbrativum; sed simul etiam *πρὸς Φερόμενον καὶ διαδοχικόν* collativum & exhibitivum. Quia enim externis elementis cum re cœlesti intima & arētissima unio sacramentalis intercedit, hinc fit ut externa symbola non modo signent rem cœlestem, sed simul eandem quoq; conferant atq; exhibeant.

**XLIII.** Rem hanc terrenam constituunt signa elementaria panis & vinum. Quoniam enim signa hæc debeant esse adminicula fidei, oportet ea externo sensu percipi, quo moveatur sensus internus. Quod autem non videtur, quomodo potest tibi esse signum? Et signum invisibile dicere, est signum dicere non signum.

**XLIV.** Hæc elementa uti diximus, sunt duplicia: panis nimirum & vinum, ut his 1. aliquatenus significaretur, sicut vinum à pane distinctum videmus: Ita in cruce sanguinem Christi nostræ salutis causâ fuisse à corpore separatum. 2. ut doceamur sicut non solo pane, sed etiam potu vivimus: Ita nos in CHRISTO nostro non modò cibum, sed & porum; hoc est non unam duntaxat salutis nostræ causam ac partem, sed quicquid omninò ad eam requiritur, perfectè & integrè habere; *Ex dubiis*  
*his fit unū*  
*sacramen-*  
*tum.*  
*Ratio*

**XLV.** Quæ duo elementa licet materialiter distinguantur, formaliter tamen & perfectivè, uti *Thomas part. 3. quest. 73. art. 20.*

alii scholastici loquuntur, unum efficiunt Sacramentum. Non ergo quodlibet signum per se seorsim sacramentum est, sed utrumque conjunctum unum constituit Sacramentum. Unum enim dicitur non solum quod simplex & indivisibile, vel quod continuum est, sed quod perfectum est, & unum perfectione est, ad cujus integritatem omnia concurrunt, quæ requiruntur ad finem ejusdem, sic unus homo est, qui omnibus suis partibus essentialibus constat. Vid. Buc. in inst.

De pane in genere.

XLVI. Sed quaeritur hic in genere de elementis pane & vino, qualia esse debeant? Nos, ut *διὰ βραχέων*, dicimus, initio de priore elemento, requiri in Sacra Cæna panem qui ex farina & aqua, tanquam partibus essentialibus inter se commixtis, & à calore humorem absumente ad unam masticabilem formam redactis, constet.

XLVII. Nec multum interest hoc loco quaerere cum Sacramentarijs, sitne panis fermentatus, an azymus rotundus an oblongus, magnus an parvus, ex tritico vel alio frumenti, ex quo panis pinisi solet, genere constans; dummodo sit verus panis, cui ipsius definitio comperat. Vide Mentz. Tom. 3. Giesl. disp. 6. th. 38.

XLVIII. Possumus hoc loco tam verissime quam justissime de Anagonistis nostris, Calvinianos dico, pronunciare, quod Servator olim de Phariseis adversariis suis Matth. 23, 24. pronunciasse legitur: Duces cæci estis, excolantes Culicem, camelum autem deglutientes: Et quod *Nazianzenus* de Arianis in orat: contra ipsos: *πίσιν ἀναγρῆντες: ζητήσιν εἰσάγρσιν*. Nam loco panis & vini aliud quidpiam ἀνάλογον substituere, ut paulò post videbimus; & corpus Christi è cæna relegare, sicque substantialia hujus sacramenti mutare ipsis leve est: At panem Azymum, parvum, rotundum assumere ipsis maximum est piaculum. In ijs, quæ prima cænae fuerunt *συμβεβήκοτα καὶ παρασηματηκὰ* sunt curiosi, scrupulosi, superstitiosi: Ea verò quæ *ἁσώδη, συσληκὰ* & substantialia pro libitu expungunt.

XLIX. Hac quaestione decisâ specialior, & longe difficilior de pane inter nos & Sacramentarios exoritur: an videlicet fractio panis in cæna actu admodum sit necessaria, ut ea sine hac existere non valeat, (Sic enim definit necessarium Scal. exer. 250, sect. 3. & exerce. 254.) nec illa

In specie de fractione panis.

nec illa absq; insigni sacrilegio rejici aut omitti possit vel debeat?

L. Affirmant Calviniani ut soli videantur sapere, quod recte sentientibus est desipere. Sic enim *Piscator disp. de Sacram. t. 3. dicit, quod non sit ritus ἀδικαφορῶν, qui omitti possit, sed summè necessarius. Polanus lib. 6. Syntaxim. Theolog. c. 36. pag. mihi 3219. ἀπομεγεῖαν de essentia & forma cœnæ Dom. esse statuit. His consentiunt Keckerm l. 3. quest. Theol. c. 5. p. 454. Ursinus in Catech. de cœnâ quest. 77. pag. 445. Trele. l. 2. Inst. L. C. p. 205. Bucan. in instit. Loc. 28. quest. 32. p. 656. E. P. & alij, inter quos notandus Beumler. cont. synops. fol. 320, qui ἀρχουλασίαν impudentissimè articulo de resurrectione mortuorum, officio Christi &c. æquiparare non veretur.*

LI. Verùm quod Esa. 27, 1. de Serpente tortuoso latenter obrepente, & obliquitate in seducendis hominibus utente dicitur, id rectissimè usurpatur in Calvinianos. Nam ante aliquot annos ceremonias quasdam baptismi abrogandas esse contendebant, ut callidè & tortuosè efficaciam Baptismi expugnarent: His annis fractionem panis necessariò introducendam esse clamitant, ut realem veri & substantialis corporis ac sanguinis CHRISTI præsentiam obliquè destruant, uti ad oculum demonstrari potest ex ultimo *Ursini in Catech. quest. 71. argumento.*

LII. Nos autem quamvis non omnem simpliciter rejiciamus panis fractionem præparativam, seu quæ sit præparatio ad distributionem necessariam; rejicimus tamen præfigurativam illam, & repræsentativam fractionis Christi in cruce; his freti rationibus: 1. quia fractio panis in verbis institutionis à Christo neq; mandata, neq; prohibita, ac propterea adiaphoris annumeranda.

LIII. Nec quicquam contra nos facit, quod panem fregisse & dixisse *hoc facite*, Christum urgent. Quis enim obsecro omnia illa quæ Christus in prima cœna fecit, & facta sunt, necessariò affirmabit? Nonne hac ratione stante noctu, Hierosolymis, in diversorio, discumbendo, pane azymo, paschali duntaxat tempore, nec nisi numero duodenario celebranda necessariò esset cœna? Choræbo profectò stultior sit

*Fundamen-  
ta nostræ o-  
pinionis.*

I.

Inst.

Resp.

B 3

neccesse

neceſſe eſt, qui non videat ex abſurda hæc, hoc facite, reſtrictione ad fractionem panis, abſurda ſequi infinita. Proinde mandatum Chriſti non ad fractionem panis, ſed ad eſum & potum, ſicq; potius ad ea quæ Apoſtoli ut convivæ fecerunt, quam quæ ipſe Chriſtus fecit, referendum eſt. Probat hoc ipſum luculentiffimè Lucas, qui c. 22, § 19. illud τὸ ποιῆτε non actui fractionis, ſed manducationis ab Apoſtoliſactæ ſubjungit. Vid. Luth. part. 1. contra cal. prophetas, p. 36. E. L.

*Inf.* LIV. Argumentum 2. quia in ἀρχαλασία huius Sacramenti eſſentiâ nullo modo, nulla ratione conſiſtit, teſte Beza ep. 2. Ventos ſiquidem vendunt Diſoſophiſtæ illi, perhibendo, hac ratione repræſentari & adumbrari fractionem corporis Chriſti. Hinc Urſin: in expl: catech. pag. 531. inquit: fregit Chriſtus panem ad ſignificandum, denn wie das Brodtbrechen iſt der Leib Chriſti / ſo iſt auch das brechen des Brots / das Leiden und Sterben Chriſti / ait Anatom. Marpurg. p. 11. Quasi verò hic cœnæ Dominicæ finis? Quasi adhuc in novo T. adumbrationes mortis Chriſti locum habeant? Quasi verò corpus Chriſti in cruce ſit fractum, ἀσφα καὶ ἀγροφα.

*De ἀναλογία fractionis, & paſſionis Chriſti.* LV. Et cum tantopere clamitant, adumbrationem, adumbrationem: Cur non eodem jure neceſſariò imagines & picturæ, quia nobis multò exactius & melius paſſionis Chriſti hiftoriam repræſentant & in memoriam revocāt, undiq; in templis collocandæ, & collatæ aſſervandæ? Cur non eadem Calvinianorum ὑποφύσει, infans totus, ad totalem animæ mundationem ſignificandam in aquam immergendus? quod cum partim impugnent, partim negligant, μαλακολογία ipſorum toti mundo ultrò innotefcit. Eleganter hac de re agit B. Luth. in confeſſ. Majz pag. 73 & 74. E. L.

LVI. Potius ergò contra Sacramentarios, ſimilitudinem in fractione tantoperè urgentes, hoc argumentamur modo: inter ea, quæ diſſentiunt, quatenus diſſentiunt, juſta convenientia, analogia, aut ſimilitudo eſſe nequit. Etenim qui metaphora utuntur, ſecundum aliquam ſimilitudinem ea utuntur, *Ariſt. l. 6. Top. c. 1. l. 7. Eth. c. 9, & 6. Eud. c. 9,* quia comparatio ſemper habet ſimilitudinem, *Scal. lib. 3. poet. c. 50. & l. 5, c. 3.* & quæcunq; comparatio eſt,



eiō est, eam oportet convenire in aliquo, *Schekius l. i. i. compend. Phys. auscult. pag. 24.* unde πολυθρησκίῳ illud: in illo quod astruitur de uno & rejicitur de altero fundari minimè potest similitudo. Peter: Atqui fractio panis & fractio corporis Christi, inter se δις διὰ πασῶν dissentiunt. De pane enim verum & rectè affirmatur: de corpore Christi falsum & negatur: Ergò inter ea vel comparatio, vel similitudo locum habere nequit. Unde scite *B. August. ep. 59. ad Paul.* Christus tantum fregit propter distributionem, non propter significationem.

LVII. Ab hoc præsidio rejecti mox tanquam Achillis clypeum arripiunt locum Pauli in 1. Cor. 10. § 16, panem quem frangimus, &c. quo loco doctrinam nostram si non evertere, attamen labefactare maximoperè ludant.

LXIX. Verum si phrasin hanc consideramus, invenimus meram esse Sacramentorum *κοινωνίαν καὶ κενόσοφίαν.* Nam τὸ frangere in S. scripturis sæpissimè pro distributione usurpari consuevit. *Vid. Luth. in Comment. ib. Genes. an c. 42. f. 623, 632. & seqq. Tom. 6. Ien. f. 120. f. 2. §. 2. & in Conf. Maj. d. 1.* Ex multis ut unicum. *Esa. 58. § 7.* dicit Dominus frange esurienti panem, &c. quis hic per Deum immortalem panem pauperibus in frustra necessariò secandum esse opinatur? Ergonè qui pauperi panem dat integrum peccat? Nugæ. Eodem modò usurpatur *Thren. 4 § 4. Genes. 42. § 1. Act. 2. § 42: 7. § 35.*

LIX. Sensus proinde Dicti Paulini emerget iste; Nonne id, quod mediante pane distribuimus, *κοινωνία* corporis Christi est: Atque communicatio hæc corporis CHRISTI cum pane non fit dum panis tantum frangitur, uti ipsi volunt, sed dum per distributionem manducatur. In distributionibus ergò significatu concedimus, quod panis non fractus non sit *κοινωνία* corporis Christi. Ad hæc, nisi concedamus D. Paulum per fractionem panis hoc loco intelligere distributionem; fatendum erit omissum ab eo actum principalem Sacramenti hujus, videlicet functionem, sicq; errorem Pontificiorum de transsubstantiatione approbasse, quod an velint concedere Sacramentarij deliberent.

LX. AN

Alia obje-  
ctio cum  
Responsi-  
one.

LX. Ast metuunt hinc adversarij futurum, ut hac ratione non de uno participemus pane. Verùm frustra. Non enim participamus de uno pane ratione massæ, sed ratione Sacramentalis usus; Alias nos hic VVitebergæ & illi qui Tubingæ vel Giellæ, vel alio in loco hac cœna utuntur, quia non de unâ massâ panis per fractionem edimus, de uno pane non participaremur, quod ipsum tamen expressè testatur Apostolus è Philippis ad Corinthios scribens, eum panem, quo utuntur Philippenses & quem Corinthij in S. Cœnâ habeant esse unum 1. Cor. 10, 17. Sic unum est baptisma Eph. 4, 6. nec tamen omnes Christiani eâdem lustrantur aquâ.

LXI. Ut firmitus hic Calvinianos constringamus, sic argumentamur: Intelligitur hic aut unitas numerica, quæ est ejus quod simpliciter & propriè est unum numero, *Keckerm. in syst. Log. l. 1, p. 262.* aut specifica, quæ est eorum, quæ communicant ejusdem definitione, *Keckerm. ibid. p. 265.* Non numerica: non enim idem numero panis qui huic à sacerdote exhibetur, & alteri porrigitur. E. specifica, hanc autem placentulæ nostræ non tollunt, sed tam in hijs, quam in Calvinianorum, unius massæ in particulas tres vel plures fractione retinetur.

LXII. Concludimus proinde distinguendo inter rem & modum rei, seu inter distributionem & distributionis modum. Res ipsa seu distributio panis in cœna est necessaria, nec potest omitti, si corpus CHRISTI manducari debeat. Modus verò rei, seu distributio panis in partes vel ante cœnam vel in cœnâ est tanquam *adiaphoron*, ab ordinatione & libertate Ecclesiæ dependens, qui cum neq; contra fidem, neq; contra bonos mores indifferenter est habendus, & pro eorum intra quos vivitur societate servandus est; uti de adiaphoris *D. Augustini in epist. 118. ad Januar.* sonat regula, Idem habetur apud eundem in *lib. 1. de inquisit. Jan. c. 2.* & im Reichs abschied anno 1555. § vñnd darmit: § darmit auch: § nach dem/ etc.

De vino.

LXIII. Hucusq; de primo Elemento nempe pane egimus, & ejus adjunctis: sequitur nunc alterum, nempe vinum,

num, quod dicimus assumi naturale & verum, sive sit album, sive rubrum nihil refert, modò ex uvis expressum & genimen seu fructus vitis sit. Matth. 26. 5. 29: Marc. 22. 5. 18.

LXIV. Hæc autem elementa visibilia panis & vinum, seu res terrena, tanquam partes essentielles & substantiales cænæ, ac ab ipso Christo instituta nullo modo, quæcunque etiam vel causa, vel ratio sit, omitti aut mutari vel debent, vel possunt.

LXV. Falsum proinde & institutioni cænæ contrarium est, quod Beza ep. 2. & 25, Sad. Tom. 3. Shon. T. 1. & reliqui Calviniani adfirmant; posse nimirum elementa hæc tolli in casu necessitatis & alia substitui analogæ, quæ vicem panis & vini ex communi usu suppleant. Verum tale elementum; quodcunque etiam sit, caret tum exemplo, tum promissione divinâ, sine quâ sacramentum non est sacramentum. Adhæc: verbo Dei nihil addendum & demendum Deut. 4. 5. 2: 12. 5. 33: Jam verò Christus expressè facit mentionem panis & vini ac hæc cum corpore suo conjungit, quod autem Deus conjungit, homo ne separet, Matth. 19. 5. 6.

LXVI. Hinc in primitivâ Ecclesiâ Encratitæ, Tatiani &c. hæreseos anno circiter 142. fuerunt condemnati, ac hydroparastatæ seu Aquarij cognominati, quod pro vino in S. Cœnâ aquam substitui posse adfirmarent: Testibus Theodoro, lib. 1. heres. & August. l. 3. her. c. 64. Quid? Ergone crudæ carnes a solis calore exsiccatae, ut salpæ seu pisces a selli adhibendi, quippe quorum hoc in Engroviandîa, teste Magino Cosmographo; illud verò in Islandiâ attestantibus Munstero, Herodoto, & Scal. ex. 22. & 292. sect. 4. panis vicem sustinet? Absurda.

LXVII. Transcunt circa hanc quæstionem Papani ad Calvinianorum castra, statuentes, si non ex toto aqua loco vini assumenda, potest tamen vinum aquâ permisceri, ratio, quia apud Iust. Martyr. apol. 2. pro Christ. & Irenaum l. 5. advers. her. c. 3, & 5. legimus veteres meminisse calicis misti, de qua re Bell. l. 4, de Euch. c. 10, & 11, Gregorius de Valent. Tom. 4. in Thomam. videri possunt.

LXVIII. Ast committunt Papicolæ in hac suâ ratiuncula insignem *ὁμολογίας* fallaciam, cui nihil quit esse absurdius, Scal. exerc. 301, est enim errori affinis. Idem exerc. 148. quia τὸ ψεῦδος ἐν τῷ ἴσθι ἐστὶν αἰεὶ, Arist. l. 3. de animo c. 6. 5. 22. Erroris generix est æquivocatio

An elementa  
debeant in  
εὐχαριστία  
mutari? Neg.

1.

2.

3.

4.

5.

Anne vinum  
aquâ permi-  
scendum?  
Neg.

C

semper;

semper; quare prius usum vocis oportet cognoscere." *Scal. l. sect. 1. 101, s. 1. 325. sect. 9: 359, s. 1*, quippe ex cuius interpretatione facilius rei ratio nota fit, *Scal. ex. 1. & lib. 1. d. cc. ll. c. 4.* Est autem vocabulum Miscere, ut & Hebræum מִשְׁכָּר, & Græcum μίσγω idem quod infundere ac confundere, uti videre est apud *Ovid. l. 10. Metamorph de Ganymede. Cit. l. 2. de finib.* & alij quo benevolunt lectorem brevitaris gratiâ remittimus. Itaq; calicem mistum Latini dixerunt, cui fuit infusum vinum.

*Namne Elementa in casu necessitatis mutanda.*

LXIX. Quæritur autem hîc, quid faciendum, si panis vel vini in regione quadam non detur copia? Innocentius IIX, uti refert Volleranus, Norwegianis & alijs regionibus septentrionalibus, ubi vinum propter immensam frigoris vim haberi nequeat, ut mysticum calicem ex mulso vel aqua consecrarent concessit. Idem faciunt nostri Sacramentarij, uti videre est apud *Polan, lib. 6. Syn- tagm. Theol. c. 36. p. mibi 3213; Guil. Bucan, in Inst. Loc. 48 q. 21, pag. 662; Trelce in Loc. Com. pag. 213, Pareus & alij.*

LXX. Verum cum historia Belgarum testentur etiam infrigidissimis istis regionibus & habere & haberi posse vinum, nec à frigore corrumpi, quid est cur disceptemus? Et posito, cui tamen experientiâ reclamatur, non dari ibi vinum, tamen symbola hæc mutari debere diserte negamus. Damus rationem: quia Christus, uti antea diximus, ea instituit, sacravit, destinavit, & præcepit, hisq; suam gratiam promisit. Non autem in hominis arbitrio est dicta & facta Christi mutare, vel symbolorum delectum habere. Quæ ratione quoque præstantissimi Theologi moti, statuunt, in baptismo, qui tamen cœnam multum necessitate superat, in casu necessitatis, si aqua desit, potius pijs precibus infantem Deo committendum, quam aliquo alio liquore baptifandum.

LXXI. Missis ergo & remissis his Calvinianorum nugis absurdissimis, quas circa priorem cœnæ D. partem, videlicet rem terrenam fovent; ad aliorum problematum magis utilium, quæ de parte alterâ, re nempe cœlesti moventur, considerationem progrediemur: imbecilli ingenij est, juxta censurâ *Scal. ex. 62. l. 1. nugis delectati.*

*Res cœlestis corpus & sanguis Christi.*

LXXII. Est autem altera cœnæ Dominicæ pars *res cœlestis*, quæ nihil aliud, quam verum substantiale & essenziale corpus Christi, illud ipsum quod pro nobis in mortem traditum: Et ille verus ac realis

realis sanguis, qui pro nobis in crucis arâ effusus. Id quod ex institutionis verbis, Matth. 26, 26, 27, 28; Marc. 14, 22, 23, 24; Luc. 22, 19, 20; 1. Cor. 11, 13, & seqq: ad oculum demonstrari potest; Etenim tanta est horum verborum perspicuitas, ut nil nisi substantiale corpus Christi ac sanguinem ejus verum denotent. Sic enim ipse Christus, *Hoc*, (quod ego vobis exhibeo, vosq; manducare jubeo) *est* (revera) *corpus meum*: *hic sanguis* non victimarum vel agni paschalis, sed *meus est*, non *τυπικὸς* ut in Vet. T. sacrificijs, sed *novi T.* (quod non amplius umbram, sed corpus ipsum habet) *quod pro vobis effunditur*.

LXXIII. Respuunt hæc verba institutionis omnem tropum, quis nullum verbum hic est tropicum, quomodo igitur bone Deus, prædicatio tropica quovis pacto locum inveniret? Neque corpus, metonymice, uti quidem Sacramentarij garrunt, signum corporis denotat, cum cõsistentibus omnibus logicis in nulla metonymiâ impropria significatio prædicetur de propria, sed illa ponitur & hæc intelligitur. Porro Christus non simpliciter dixit, hoc est, corpus meum, sed addidit, quod pro vobis datur. Illud ergo corpus optimus Salvator sub pane nobis legavit, quod nobis tradidit, hoc est, verum & substantiale, non figuratum aut metonymicum. Quis amplius dubitabit? Jesus Christus testatur nobis, quod corpus & sanguinem suum accipiamus, nunquid debemus de ejus fide & testificatione dubitare? eleganter dicit *Ambr. l. 4. de Sac. c. 5.*

LXXIV. Exstruimus propterea ex phrasibus, edite hoc est corpus meum, bibite hic est sanguis meus, sensum hunc: *Id quod mediante pane visibili vobis manducandum porrigo est verissime corpus meum substantiale: id quod mediante vino vobis exhibeo est sanguis meus verus & realis.*

LXXV. Procul proinde ad Indos & Garamantes, immo ad orcum ipsum, unde venit, relegamus *ψευδεγυνεῖαν* Dipnosophistarum; qui edere & bibere respectu corporis & sanguinis Christi pro credere figurate exponunt. Sed ubi hæc exstat glossa? quibus dictis probatur? quæ verba institutionis hanc innunt? Vanitas, futilitas est. Si sic in re seriâ ludere licet, si sic scripturas S. corrumpere fas est, quis locus quæso, quâvis clarissimus corruptelas effugiet. Sed ut ad rem. Dico falsum plane esse & ad hunc usq; diem inauditum, unam & eandem dictionem simul & semel & propriè & figuratè accipi. Hanc propositionem nemo sanus, nec etiâ Calvinista nisi omnè pudorè abjecerit, & mæriendi libidinè assumserit, negabit. Unde sic infero:

C a

Christus

An edere sit idem quod credere?

Christus his in verbis institutionis aut tantum figuratè, aut tantum propriè locutus fuit : Si hoc, sequitur necessariò, simul cum elementis panis & vini ore accipi & corpus & sanguinem Christi : Sin illud, & panis cum vino, & corpus cum sanguine, utrumque dico, non ore, sed fide accipi debent, & proinde edere panem, erit credere panem, uti edere corpus significat tantum credere corpus. *ἀτοπον, ἀτοπώτερον ἀτοπώτατον.*

LXXVII. Si *κρησφύγετον* quæris & ad cap. 6. Joh. confugis, graviter erras. Demonstrabo, quia manducatio de quâ Christus eo loci agit, semper ad salutem proficit, hoc manducatio eucharistiæ non facit. Vides ergo diversam manducationem. Addo, Manducatio illa est manducatio fidei, § 35. *Trecl. p. 280*: Sacramentalis quâ talis non est fidei; E. caput 6. Joh. intelligitur absolutè, non sacramentaliter, de quo hoc loco quæritur. Plura invenies apud *Luth. de captiv. Babyl. c. 1. Chem. part. 2. exam. Con. Trid. c. 1. sess. 2.*, quibus assentitur, vel potius assentiri vi veritatis cogitur. *Pet. Martyr part. 1. Cont. Gardin. Item Zwinglius & Oecolampadius.* Placet unicum addere: Distingues hic inter finem *ω̄* & *ξ*, inter finem ultimum & intermedium. Finis ultimus S. Cœnæ quidem est spiritualis, ut nimirum beneficia à Christo parata nobis adplicemus, de quo Johan. 6; Interim autem finis intermedius est oralis seu sacramentalis manducatio, quâ fides nostra confirmatur & augetur. Vides hinc manducationem tum spiritualement, tum Sacramentum, inter quæ si distingues, res erit salva.

LXXVIII. Destructo nunc præsidio ad glossam ipsam accedemus & num subsistere possit duobus dicemus verbis. Contrariatur initio S. Patribus, & universo antiquitati, quæ de hac exceptione minus quam nihil sciverunt. Hoc ideo addo, quia Sacramentarij tantæ sunt impudentiæ, ut se cum Patribus in hac quæstione idem statuere contra expressam veritatem affirmare non erubescant. Sufficiat unum atque alterum, *Leo serm. 6. de jejunio* hoc ore sumitur, quod fide creditur: *August. contr. advers. leg. l. 2, c. 9.* Carnem & sanguinem Christi fidei corde & ore suscipimus. Plura passim obvia.

LXXIX. Pugnat cum clarissimis Christi verbis, qui in unâ indivisâ manducatione cum pane corpus, cum vino sanguinem suum  
discipuli.

discipulis exhiberi aperte pronunciat; non aliter ac si Dominus quispiam seruo suo in marsupio donaret 100. aureos, dicens en habes centum aureos, accipe. Hic servus quamvis pecuniam sibi porrectam non conspiciat, attamen quia Dominus verax & honestus est ipse non dubitat, quin præter marsupium, & unâ cum ipso aureos revera etiam accipiat. Si autem Dominus sacculum porri-geret, ac diceret en habes florenos 100, intelligeret autem hunc suum sermonem metonymice, quasi accipere, idem quod credere significet, vel quasi vacuum vas toridè aureos significet, nōne talem hominem servus ut nugacissimum, qui alterum circumducere, eludere, decipere velit, habiturus esset. *Vid. Hun. in tract. de Cæn.*

LXXX. Quamobrem ne nos tale quiddam de optimo ac veracissimo nostro Salvatore impiè ac blasphemè proferamus, ne dum sentiamus, ipsum τὸ ῥητὸν retinemus & verba Christi ὡς θεῶν ἐνεργήσαντι, ut loquitur *Damascenus lib. 4. c. 20.* exponemus. Rationibus antea dictis hæc pauca addentes. I. Quia à verbis Christi decidere nulla nos cogit necessitas: Et hoc est illud, quod *Theodor. q. 39. in Gen. inculcat.* χεῖρ ἑργῶν τῶν γεγραμμένων καὶ εἰδέναι ὡς εἶδεν ἄπορον τῶν τῶν ὁλῶν δεικνύων θαυμάζειν αὐτῶν τὴν ἀπόρητον ἀγαθότητα. Scripturæ verba simpliciter debemus retinere, & certò statuere, Deo non deesse facultatem implendi, id quod dixit, cum omnia ex nihilo condiderit.

LXXXI. II. Quia tres Evangelistæ, Matth. 26, 26: Marc. 14, 22: Lucas 22, 19. & Apostolus Paulus 1. Corinth. 11, 24. Uno ore iisdem utuntur verbis, quod fortean nullo modo fecissent, si tropus vel metonymia subintelligenda fuisset; sed unus absque omni dubio in re sane magni momenti tropum illum monstrasset, quòd cum non fecerint, nobis minimè licet tropos & figuras è nostro cerebro fingere, ac textui inferere, quoniam S. Scriptura non est ἰδίαις ἀπὸ λύσεως. 1. Pet. 1, 20. & quod scriptum non est inquit *Chryf. hom. de spirit. S. ador.* & quod maximæ partis sententijs non probatur, admitti non solet, *Arist. lib. 1. Top. c. 8.*

LXXXII. III. Quia sacramenta, præsertim quoad substantialia, à Deo claris ac perspicuis verbis solent institui. Si ergo nos τὰ ῥητὰ verborum Christi insistentes ac sequentes decipimur, à Christo decipimur, quippe qui talibus tropicis & metonymicis usus phra-

sibus, quibus nos decipere voluit, quod summe impium, horrendum, blasphemum.

LXXXIII. IV. Quia secundum quosdam Patres idem probat Joh. in 1. cap. 5, 8, dicens: tres sunt, qui testimonium dicunt in terra Spiritus, aqua & sanguis. Hic sanguis certe non de alio quam Christi sanguine intelligi potest, qui mediante vino in cena exhibetur, cum aqua itidem non de alia, quam baptismi aqua intelligi queat: Atque sic Johannes utriusque Sacramenti N. T. mentionem fecit, Spiritus autem S. per sacramenta efficaciter operatur, fidem auget ac confirmat. Si ergo sanguis Christi in terris testimonium perhibet, nefas profecto & magna erit impietas, illum de cena ad caelum relegare.

LXXXIV. Nec novam hic opinionem excogitamus, cum ad stipulantes & subscribentes habeamus S. Patres praestantissimos. Theophyl. in com. in Marc. *Panis non est Domini corporis figura: non enim Christus dixit, figura est aut representatio carnis meae; sed caro mea est, quae verba non temere protulit cum saepissimè eadem repetat, praesertim in Com. in Matth. & Hilary. lib. 8. de Trin. De veritate carnis & sanguinis Christi non est ambigendi locus relictus: Etenim & ipsius Domini confessione, & fide nostra vere caro est & vere sanguis. Purum putum ergo mendacium, quod Calvinista Tigurini cont. Test. Brentij fol. 34. & 36. scribere non dubitant, hanc doctrinam esse novam & antea inauditam.*

LXXXV. Retinemus proin & retinebimus ipsum τὸ πῆρὸν & Christi carnem & sanguinem in cena realiter, & substantialiter adesse credimus & confitemur, verbis Christi tanquam fundamento firmissimo insistentes: titubat autem fides si scripturarum divinarum negligatur autoritas, inquit Aug. l. 1. de doct. Christ. c. 37. Textus non fallit, multos speciosa fefellit Glossa, Dei verbo nitere tutus eris. Cede ergo Scripturae, loquor cum Aug. l. 3. De D. C. c. 26. *quae nescit falli fallere, hominum est labi, hallucinari, falli, fallere, decipi, decipere.*

LXXXVI. Euge quid nunc faciemus! Hac constanti nostra assertionem motus orcus, hic fremit Satanus, hic tumultuatur Sacramentarij & nescio quos sarcasmos diabolicos in nos evomunt. Sat probationis est Beza antesignanus, qui in sacramentario suo basilisco, seposita omni pietate ac verecundia, laxaris, omnibus meledicentia frenis, D. Heshusium ob defensionem τῶν πῆρῶν verborum cenae pag.



na pag. 75, 191, 196 & alijs, impurum sycophantem, cyclopem, animal cervinorū, & quæ sunt hujus generis alia, vocat. Addam Calvinum & Bucerum; hic nos diaboli incantatione excæcatos, ille, homines protervos, improbos, rabiosos, mancipia Satanae, in lib. anno 61. edito p. 3, nominat. Nos verò illis nihil aliud reponimus quam illud B. Hieronymi: *Hæreticorum ultimum præsidium est, ut cum conspiciant causas suas damnatum iri, incipiant virus serpentis linguâ diffundere, & cum se victos conspiciant, ad contumelias prosilire.* Numne *αὐτῶν ὁ φάσμα*, eleganter inquit Cyrill. ad Eutrop. mysterium nostrum pronuncias & irreligiosè ad crassas cogitationes urges fidelium mentes & humanis cogitationibus ea tractare attentas, quæ fide percipiuntur solâ. Est hæc eadem accusatio, qua olim Christiani coram Ethnicis falso uti scribit Athenag. in sua Apol. pro Christ. accusati, quam tamen non curamus.

LXXXVI. Rejiciunt ergo Adversarij τὸ ῥητὸν verborum Christi simpliciter & *ἀγνοίαν* urgent, quam ut tueri possint nullum non lapidem movent nihil intentatum relinquunt, propterea etiam omnia Christi verba varie exposuerunt, reddiderunt, depraverunt.

LXXXVII. Carolstadius hujus belli fax & tuba teste Sleidano lib. 3. Dreser. in Millen. 6. part. 3. f. 69. pronomen τῶ dixit esse *δεικτικόν* corporis, quasi Christus hac voce, verso ad se digito dixerit, hoc est corpus meum; id est, hoc quod hic sedet est corpus meum.

LXXXVIII. Zwinglius verbum EST (admonente spiritu) de quo ipse in lib. de subsidio Eucharistia, an ater an albus fuerit, dubitat) explicavit per significat.

LXXXIX. Oecolampadius per corpus intelligit figuram corporis, adeò scilicet *πολυχιδές τὸ ψεῦδος*: Sic sibi spiritus Calvinisticus constat, capitibus, ut vulpes Simsonis Jud. 15, 4. distant, omnes tamen Testamentum filij Dei evertere student, Nihil autem sacramento humanitus assuendum, alioquin non est divinum & integrum mysterium, recte monet Chrys hom. 7. in 1. ad Cor. 2.

XC. Et hætenus de materia eucharistia seu partibus essentialibus, pane nimirum & vino, ac corpore & sanguine Christi nunc ad formam.

XCI. Forma cænae D. interna & propria est signorū & rei signata unio seu *κοινωνία* junctio Sūt quidē res terrena & cœlestis res diversissimæ, veracis tamen & omnipotentis Christi verbis ita in ipsâ cōjūguntur sumptione, ut *στὴν ἑνότητα* unum *ἴσθαι* unio.

unum fiant, hoc est, ut nec panis sine corpore, nec vinum sine sanguine CHRISTI edantur aut bibantur, sed uno eodemque actu & ἀμα & ὁμῶς, id est, & simul tempore & simul loco sive simul & similiter tradantur & accipiantur. hoc volo, ut manducato pane consecrato, manducetur & oraliter corpus Christi, hausto vino benedicto, bibatur & oraliter sanguis ejusdem, quia per sacramentalem unionem copulantur. Quemadmodum enim ex corpore & animâ fit unus homo; ex naturâ divina & humana in Christo unum ὑψίστου. Athanas. cont. Maxim.: sic quoque ex pane & corpore, ex vino & sanguine Christi unum fit Sacramentum. Utrobique namque duæ diversæ res uniuntur; illic quidem duæ naturæ: hic verò panis & corpus.

XCIII. Nectamen ex toto conveniunt, quod nec est necesse in similibus Arist. in Topicâ; Differt enim hæc unio ab illâ, quod naturæ in Christo uniantur ὑποστατικῶς in unam indivisam personâ, panis autem & corpus Domini μυστικῶς, non in unam personam, sed in integrum sacramentum.

XCIV. Consistit hæc unio non in generali unionis definitione, seu relativâ quâdam significatione & repræsentatione, uti Sacramentarij narrant; sed ex ipsâ εὐχαριστία, quæ propria hujus doctrinæ sedes, & ubi καὶ αὐτὸ πρῶτος traditur petenda & explicanda venit.

XCV. Circa formam hujus Sacram. rursus nobis res erit cum Calvinianis, quia sacramentalem hanc unionem constanter negant, dicentes: tam procul abesse corpus Christi à pane, quam cælum summum ab imâ terrâ. Calv. l. 4. Inst. c. 17. Item: in form. conf. Bezæ ep. 5, Vol. 3, p. 204. & part. 2. Q. & R. q. 214. Zvingl. in R. ad conf. Luth. Buc. in Ioh. p. 147. Aret. loc. 81. Vrs. in expl. Catech. Commones. p. 291. & seqq. Pisc. in qq. Rhet. de cenâ D: L. Danæus & alij quamplurimi. Ast dicunt hoc sine sanâ ratione, sine Scripturis. Omnipræsentiam enim carnis Christi, ut in superioribus Disput. probatum præsupponimus: Et si corpus Domini tanto intervallo distet qui posset fieri κοινωνία, κεινωμία siquidem non est absentium, sed præsentium, sic fatente ipso Polano l. 6. Synt. Theol. c. 56. p. 3223.

XCVI. Sunt



nulla sit proportio, quomodo materialibus oculis, & quidem a-  
ctu secundo illud quod sacramentaliter præsens aspicere poteris?  
Etenim corpus glorificatum ita est visibile, ut non nisi à glorifica-  
tis ordinariè videri possit, Matth. 28: Unde *Theophy.* de corpore  
Domini scribit, *in Comm. p. 246:* Domini corpus spiritus quidem  
non erat, sed spirituale, absque omni crassitudine.

**XCIIIX.** Irrumpit præterea in campum Theologicum *Thom. Era-*  
*stus* Medicus & Calvinista Heidelbergensis *in fundam. sua declar. p.*  
*25,* objiciens sanguinem Christi ante annos 1500. computruisse,  
nec amplius in rerū natura esse. Repetit hanc blasphemiam *Aulack,*  
*in sua confess. p. 45, Pirknis. in controvers.* Sed sutor non ultra crepi-  
dam. Debuisset bonus ille vir prius ex Theologia cognoscere, in  
quo sanguine redempti, 1. Pet. 1, 18, 2, quæ de incorruptibilitate Do-  
mini nostri Jesu Christi à S. Spiritu in Scripturis Psal. 16, 10: Act. 2,  
27. & passim alibi prædicta. Plura non addam, sed filio Dei hæc  
Calvinistarum mendacia & convitia commendo, ille aliquando  
suo tempore à Sacramentarijs rationem de his omnibus exposcet  
exactissimam. Matth. 12, 36.

**XCIX.** Adhæc, urges ascensionem, quâ motus Beza docuit Chri-  
stum sic esse in cœnâ (ignosce mihi ô Iesu, ut ipsius verba horrenda  
auditu & æterna damnatione expianda referam) sicut sit in cœno,  
propter quam blasphemiam quoque in colloquio Possiacci anno 61,  
habito, à Cardinale Lothareno fuit accusatus, teste *Schluffelburgio*  
*l. 2. de Theol. Calv p. 6.*

**C.** Respondeo. Christus ascendit non ut Elias, sed modò planè  
singulari, ut ad dexteram Dei exaltaretur. Nec ad cœlum quod-  
dam creatum, quod sit supra sphaeras cœlestes, alias empyreum  
dictum uti nugantur Calviniani; ibique arrestatus tenetur, quem  
admodum fabulantur; sed ascendit supra omnes cœlos, Eph. 4, 10.  
ut omnia impleret. Hinc post ascensionem locutus cum Paulo  
Act. 9, 5, & 6. adfuit in templo Act. 22, 16. in castris Lysidis Act.  
23, 11, Reliquit ergo mundum visibiliter, sed non invisibiliter.

**CI.** Respondit ad hanc objectionem acutissime etiam *Ambr. de ijs,*  
*qui myst. init. cap. 9:* Non est mirum si mirabilis mirabilia operatur, quomodo  
dicitis, corpus unum eodem tempore in diversis locis esse potest? Noli mirari quò-  
modo locum fecit, corpus fecit, & locum in corpore, & corpus in loco.

**CII.** Nec

CII. Nec praesentia corporis Christi in caelo negat praesentiam in caena; quia corpus Domini in caelis est secundum veri corporis modum, uti loquitur *August. ep. 57. ad Dard. sive localiter*, est autem ubique *personaliter* & in caena *sacramentaliter*. Quomodo enim filius Dei, inquit *Bonav. in l. 4. sent. dist. 10. p. 1. q. 3* & *Hugo Victor. c. 12*, secundum divinitatem habet triplicem modum essendi, in omnibus per essentiam in iustis per gratiam, in Christo per unionem: Sic Corpus Christi localiter est in caelo, personaliter in verbo, sacramentaliter in altari.

CIII. Tandem objicis rationem & naturam, ad quam respiciendum. Petis principium, principium autem petere non est propositum demonstrare, *Arist. l. 2. pr. anal. c. 18*: aliud enim est omnipotentia & praesentia, aliud ratio & natura.

CIV. Nos rationem & naturam in his mysterijs relegamus, cum *fragilitatis nostrae non sit caelorum secreta discutere*, dicit *aug. l. 6. de fid. & symb. c. 6*. Si ordo naturae requiritur, succumbit ratio, & tamen extra humanam rationem manet facti veritas, dicit *Paschas. c. 1. de Sac. t. 6*. Captivanda proinde ratio humana in obsequium fidei *2. Cor. 10, 5*; *Col. 2, 8*: *Et Sacramentum filij Dei fide suscipiendum, non ratione discutiendum, venerandum & admirandum non dijudicandum, aut ad rationis vel sapientiae calculum revocandum*, movet *D. Bernh. ep. 77*.

CV. Quid multis? Si natura & ratio respicienda, actum est de omnibus articulis fidei. Ut ex multis unum atque alterum adducam: Nonne rationi & naturae contrariatur, inquit *Bas. Tom. 1. in serm. de Hum. Christi gener: sine virili semine, & illaesa virginitate nasci puerum*? Est hoc opus, secundum *Bernh. Sermon. 3. in Vigil. Natal. D.* singulariter mirabile & mirabiliter singulare: secundum *Greg. Nyss. Sermon. de S. C. nativitate*, miraculum ingens: secundum *Thomam de Aquino de potent. D. q. 6. a. 2. R. ad 9*, miraculum, miraculorum. Quid igitur quaeris exclamat *Ambr. l. 3. de Sac.* naturae ordinem in Christi corpore, cum praeter naturam sit ipsius partus e virgine!

CVI. Nonne rationi, ex duab. diversissimis naturis una fieri personam, contrarium? unde *Leo serm. 1. de Nat. D. c. 1*, ait, utramque naturam

D 2

in

in unam convenisse personam nisi fides credat, ratio humana non explicat, cui astipulatur *Chrys. hom. 5. in Ioh.* scio quod verbum caro factum, sed quomodo factum sit nescio, miraris quod ego nescio, omnis creatura ignorat. Est enim teste *Damasc. l. 3. c. 1.* τὸ παντῶν καινῶν καινότατον, μόνον καινὸν ὑπὸ τὸν ἥλιον. Non ergo compotes sui sunt, qui enarrabilem hanc nativitatem enarrare volunt *ait Iren. l. 2. c. 48.* Ergone nativitas & unio duarum naturarum in C H R I S T O cum tibi & rationi tuæ impervestigabilia, neganda? Non puto.

C VII. Quid? quod illa quæ cottidie videmus & manibus terimus non satis intelligamus, Sap. 9. § 6. Quamplurima enim in naturâ nos investigare non posse, nemo dubitat. Hinc pulchrè & subtiliter acutissimus *Scal. ex, 101. f. ii. 307. f. 12.* scientiam nostram humi reperere ait, ac propter multarum rerum ignorantiam, umbram in sole vocat, eandemq; vulpi, quando lambit vitrum vas & pulvem non attingit, comparat. Quibus haud ab simile, quod *Aristoteles*, qui quamvis humanæ sapientiæ parens, & summus sapientiæ dictator *Scal. ex 211. f. 1. 273. f. 2;* cui pene infusum videtur, cujuscunq; naturaliter capax est, ingenium humanum, *Hieron. 3. ep. part. ad Eustoch. ep. 14. c. 11.* Attamen hic sapientiæ aquila *Scal. ex 19 4. f. 4.* de nostro intellectu *α. min. cap. 1.* ita scribit: quemadmodum vespertilionum oculi ad lumen diei se habent: Ita & intellectus animæ nostræ ad ea quæ manifestissima. Si hoc, quomodo ad mysteria divina, quæ etiamsi in infinitum speculemur & disputemus tamen manet incomprehensibilia *Luth. in comm. Genes. p. 2.* Ergo in his vela ingenij, monente *Augustino* contrahamus & scripturæ ductum sequamur: sicut enim, uti scite *Mornæus lib. de ver. Rel. c. 5.* ea quæ sub sole sunt, sine solis luce non videntur, Ita Deus sine Dei illustratione non cognoscitur, dicit *Iren. l. 4. c. 14.* Vid. *Luth. d. l. p. 3.*

C I X. Demus proinde Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. *Aug. ep. 2. ad Volu.* & cum Christus ipse adfirmet, de pane hoc est corpus meum, quis deinceps audeat dubitare? ait *Cyrill. Hieros.* Quid enim fiet in tentatione, cum disputabit conscientia; quam habuerit causam decedendi à verbis? Tunc illa  
verba

verba **HOC EST CORPUS MEUM** erunt fulmina, quid his opponet mens perterrefacta? quibus scripturis? quâ voce **DEI** se muniet, ac sibi persuadabit necessario hic fuisse interpretandam metaphoram, scribit *Philipp. Melant. ad Myconium.*

**CIX.** Manet ergo firmum & fixum adesse corpus Christi in cenâ præfens, non quidem præfentia locali, sed mythicâ & arcanâ; simplicem veritatem de reali præfentiâ statuimus; modum verò neutiquam determinamus, quem planè ἀνεξέρεινυητον καὶ ἀνεξι-  
νίαςον soli divinæ committimus omni præfentiæ; verbum audimus, motum scimus, præfentiam credimus, modum nescimus, inquit *Durandus.* Quando autem dicimus corpus Christi præfens est substantialiter, essentialiter, &c. utimur his vocabulis non ut modum denotemus, quem imperscrutabilem scimus, sed ut veritatem subjecti inculcemus, & Calvinianos è latibulis protrahamus, quos non pudet in sensu alieno, nostrorum Theologorum linguâ uti.

**CX.** Mera ergo est calumnia Sacramentariorum, scribentium, nos quandam corporis ad locum panis, in quo lateat inclusum, credere coexistentiam.

**CXI.** Nec illud ex particulis **IN, CUM & SUB** demonstrare possunt. Utimur enim his voculis cum scripturâ, Joh. 1. § 3. & 14. Act. 10. § 28. Col. 2. § 19. & cum S. Patribus *Aug. ad Neoph. Chryf. hom. 3. de sacerdot. Cypr. de cæn. D. 1. contra Calvinianorum τρεπολογίαν & ἀπιστίαν,* ut testentur præfentiam corporis **CHRISTI**, quanquam sine inclusione, affixione & consubstantiatione. 2. contra Pontificiorum μετεστίαν & transubstantiationem. Facessat igitur acuti hominis cavillum poeticum; **In, cum, sub,** totum fallunt monosyllaba mundum.

**CXI.** Atqui tantum ad præcipua adversariorum argumenta respondisse sufficiat, plura σύν θεῷ in ipsâ συζητήσεσ. Priusquam autem ad alios Calvinianorum errores, quos de manducatione indignorum tenent, accedamus; ordo naturæ flagitat, ut paucis de transubstantiatione & communicatione sub utraq; specie agamus.

*An panis &* CXII. Afferimus enim & nos, transsubstantiationem, de  
vinum in qua Bell. l. 3. de Euch. c. 19, Eucius p. 230. in ench. & Cost. ibid. p. 313.  
substantiã merum figmentum pontificium esse, nec signum in rem signatam,  
corporis & nec contra, converti dicimus, sed utrumq; sacramentaliter con-  
sanguinis jungi, superius diximus.

CHRISTI CXIII. Notetur hic summa Calvinianorum impudentia,  
transmutẽ qui publicè doctrinam nostram transsubstantiationem confirma-  
tur? N. re, effutire mendaci ore non dubitarunt. Vid. Neest. in sua admon.  
Sophistice namq; agere volentes mentiendi genus quarere oportet  
Arist. l. 1. Elench. c. 2. cum tamen veri hominis nota sit ama-  
re veritatem, mendacium verò summo odio prosequi, Plato  
l. 6. de Rep.

CXIV. Sed ad rem. Pontificij nihil aliud suo hoc dogmate  
faciunt, quam ut sacramentum hoc non esse sacramentum statu-  
ant. Nam sublato pane tollitur & signum externum, sine quo ta-  
men nullum est, quin nec esse potest sacramentum. Et proinde  
etiam omnis analogia, quam tamen cum Patribus sano sensu urget  
Aug. ep. 28. corrueret. Consistit autẽ ea in his duobus: nam sicut panis  
nutrit corpus: ita corpus Christi animam. 2. sicut panis revera  
manducatur: ita & corpus Christi. Si autem panis non amplius est,  
hęc analogia prorsus abolita est & per consequens Sac. psum.

CXV. Accedit Sacramentorum ad se invicem convenientia.  
Nam in nullo alio sacramento sive V. sive N. T. res terrena sub-  
stantialiter in rem cœlestem conversa legitur. Mansit substan-  
tia agni paschalis, manet substantia aquæ in baptismo, cur ergo  
hic aliquid novi fieret?

CXVI. Quid? quod hac ratione corpus CHRISTI in  
vermes transmutaretur, vel à tineis, reservatis hostijs, abrode-  
retur; Item: corpus Christi reddi posset, venenatum: Henricus  
enim VII, Imp: hostiã Victor Papa R, vino intoxicatis inte-  
rierunt. Charton, & Calvinus in suis Chron. à Gen. imo blas-  
phema,

CXVII. Præterea refutat Servator ipse, Matth. 16. § 26. Mar.  
14. § 21. & 24. Luc. 22, § 19. & 21. ubi verbo hic non tantum cor-  
pus, sed & id quod manu tenebat, respicit, alias talis emergeret  
sensus, corpus meum est corpus meum, quem etiam Hologotus  
in 4.



in 4. sent. q. 3. vanum ac præposterum appellat. Vid. Gesn. in disp. 10. pro form. Conc.

CXIX: Tandem quoq; Apostolus Paulus, fractum panem, & calicem benedictum expresse nominat *κωωβία* corporis & sanguinis Christi: Ad *κωωβία* autem requiruntur necessario duo. Huic voci respondit in Hæbreo vocabulum *דבר* consociavit, conjunxit, copulavit; duorum scilicet rerum conjunctionem & consocietatem, uti fit in sacramento, denotans.

CXIX. Ultimo S. Patres; Theod. dial. 1. videatur; Gelasius Pontif. Rom: circa annum 500, qui tamen non potest errare, Gloss. in c. cum inter nonnullos, in verb. 6. Declaramus, de verb. sign. in Extravag. Joh. XXII. Bell. l. 4. de Rom. Pont. c. 2. & sic Pontifex cum pontifice ager? sic autem ille: Panis & vinum ita transeunt in substantiam corporis & sanguinis Christi, ut tamen substantia vel natura panis & vini non desinant: Item transeunt in divinam substantiam permanente tamen pane & vino in sua natura proprietate. Hoc testimonium tam clarum est, ut cum è nostris Caspar Contarenius Card. in colloquio Ratiſbonensi audierit, obstupuit, & quid responsi loco daret, non invenit.

CXX. At quid multis? Petrus de Alcat. 4. sent. q. 6. a. 2. 2, in recit. opin. 4. Joh. Scotus ibid. dist. 11. q. 3. art. 1. arg. 3. & Gabriel Biel in canon. Missæ lect. 40. testantur aperte transubstantiationem ex Scripturis probari nullo modo posse. E.

CXXI. Quid autem sibi vult verborum, hoc est corpus meum recitatio? Non ut panis & vinum à substantiæ suæ veritate, magica quadam vi ac facultate mutantur, sed ut à communi usu separentur & ad aliud ordinentur, hoc est, ut panis & vinum non amplius sint cibus & potus profanus, sed sacro fini & usui destinatus, quo Domini vocationem percipiat, sicuti loquitur Iren. l. 4. adv. Val. c. 34. Unde verba hæc non sunt transmutatoria, sed ex institutione Christi operatoria & effectiva tantum, ut elementum, quod ante erat cibus naturalis, convertatur in sacramentum, per quod in ipsa sumptione & corpus & sanguis CHRISTI conferatur.

CXXII. Deinde recitantur hæc verba ante *evxæsiar*, ut historiam primæ institutionis ad animum nobis revocent, & de nostri redem-

redemptione per mortem Christi comparatâ nos commonefaciant. 3. Ut ex ijs dignitatem hujus Sacramenti considerantes, ad ardentem precem excitemur, quo Deus nos dignos hospites atq; convivas hujus suæ mensæ faciat. Patet hinc recitationem horum verborum esse 1. διακριτικόν, 2. ἰσορρομικόν, 3. εὐκλικόν. Adde, quod Christus verba hæc non ad panem sed ad discipulos, quibus rationem hujus Sacram: exposuit, dixerit.

CXXIII. Proinde nulla in hac conjunctione signorum mutatio est essentialis, sive per ἀνάλυσιν resolvantur in materiam primam, sive etiam in nihilum per μεταβολὴν ἀπλήν. ἢ μεθ' ἑστίαν convertantur in substantiam veri corporis & veri sanguinis Domini, sed tota est Sacramentalis, hoc est conditionis, usus & finis elementorum: Ita ut panis sit & maneat panis, sed non nudus, verum corpore Christi revera unitus, quod autem non fit nisi in ipsa manducatione.

CXXIV. Conspicitur hinc, quid de odiosa & ridicula scholasticorum quæstione, si mus hostiam consecratam aroderit, sentiendum sit? Super hanc variè inter se digladiantur: putarunt enim murem corpus gloriosum Christi absumsisse. Quod quia magnū facinus, in pœnâ decernendâ non omnes ejusdem sunt opinionionis. Quidam illum excommunicandum, quidam comedendum, multi interficiendum, aliqui murem, seu potius corpus, quod comedisset, adorandum statuerunt. Has Φλεθονείας cui placet exactè cognoscere, ille consulat Alex: de Ales part. 4. sum. quest. 53. in 2. Bonar. l. 4: d. 13. q. 2. Anton: Archiep. Flor. p. 3. sum. l. 13. c. 6. Holder: in mure exenterato, &c. Et tantum de transsubstantiatione.

CXXV. Quemadmodum autem verissimum in Philosophicis πολυθνήλητον, dato uno in convenienti sequuntur plura; Arist. 1. phys. c. 2. § 10. & 22. l. 1. de cœl. c. 5. § 33. Ita multo magis in Theologicis locum habebit, omnis enim error in principio licet parvus, in fine tamen maximus: πόνως πόνω πόνον. Φέγει: ita error fert errorem, nam parva aberratio à veritate, fit ijs qui exorbitarunt, si longè progrediantur decies millies major, inquit Philosophus l. 1. de cœlo § 33. Hieronymus l. 3. sup. epist. ad Galat. c. 5. & in fin. l. 2. sup. Matth. Exemplum nobis suppeditant Papani.  
Ex hoc

Ex hoc enim impio transubstantiationis commentō plura alia *An laici à*  
*βδελύγματα* circa præsentem articulum enata sunt, quorum licet *communione*  
tanta copia, tantaq; seges sit, ut inquinamenta Augiæ stabuli supe- *sanguinis*  
rare possent: Attamen in præsentiarum sacrilegium illud horren- *Christi exclu-*  
dum, quo miseris hominibus, quos ipsi laicos indignant alteram *dendi? Neg.*  
sacramenti partem nequiter furantur, examinemus.

CXXVI. Sed ò futilitas. ò insania! Refellit hanc Papanorum *1.*  
mutilationem *1. testatoris autoritas.* Unus enim & idem ad eosdem  
dixit, edite, bibite; si ergo propterea calix laicis denegandus, quod  
Christus ad solos dixerit Apostolos bibite, uti urgent, cur non eâ-  
dem Logicâ, præsertim cum particula universalis in posteriore  
parte tam disertè non legatur, & alteram Eucharistiæ partem, vi-  
delicet corpus Christi, iisdem denegandum, sicq; toto hoc sacra-  
mento laicos privandos esse, necessario statuendum esset. *ἀθεό-*  
*λογον.*

CXXVII. Refutat 2. sacrilegium hoc *verborum institutionis claritas.* *2.*  
Institutionis autem hujus duæ sunt partes, factum Christi & ver-  
ba ipsius: hæc triplicia, quædam enim sunt præceptiva, quibus  
communicantibus functionis necessitatem duplici præcepto, uno  
comedendi, altero bibendi injunxit: quædam *ὀριστικά*, quæ rem  
signatam declarant: quædam *ἐξηγητικά* quibus Dominus finem  
sacræ hujus actionis exposuit. Jam sive factum Christi & Apo-  
stolorum respicias, in primâ cœnâ utrumque receptum est: Sive  
verba, præceptiva quidem de utroque mandatum includunt, edi-  
te, bibite: *ὀριστικά* de utroque pane & vino enunciantur, hoc est  
corpus meum, hic est sanguis meus: *ἐξηγητικά* utrinque promissio-  
nem proponunt.

CXXVIII. Rejicit 3. crassum hunc errorem etiam illud, quod in *3.*  
sacris litteris Deo omnis denegatur *θεοπροληψία*, cur ergo  
Christus laicos à sanguinis sui communicatione rejectos vellet?  
Accedit ratio. Pro quibus Christus est mortuus & sanguinem suum *4.*  
effudit, ad eos quoque pertinet: Atqui Christus non minus pro la-  
icis quam sacrificulis in papatu effudit suum sanguinem. E.

CXXIX. Et puerili laborat *παρελέγχω*, nec refutatione fere *Object:*  
dignum judicamus, quod *Bell. Tom. 3. l. 4. de Sac. euch. c. 21:* nobis ob-  
jicit; quod nimirum totus Christus sit sub pane & proinde non-

E

opus

opus esse calice. Concedimus antecedens. Sed quid dum, num-  
ne propterea institutio Christi mutanda? Vult iste sophista  
Christo longe sapientior & subtilior esse: Cum tamen potius con-  
siderare debuisset, aliud esse agere, de carne & sanguine, quæ res  
sunt substantiales, & partes integrantes humanæ naturæ, quæ to-  
ta est indivulsa: aliud vero qua ex voluntariâ & testamentaria Do-  
mini dispositione sacramentaliter nobis dantur in cibû & potum.  
Aliud ergo est loqui de corpore & sanguine Christi secundum se;  
aliud vero secundum rationem sacramenti: Secundum se san-  
guis non potest divelli à corpore; factum illud est semel in cruce:  
secundum verò rationem sacram: distincte considerari ex insti-  
tutione debet.

CXXX. Quæ cum in rei veritate non aliter sint, luce meridia-  
nâ clarius illucescit, quæ & quanta sit insignis Romanensium in  
rebus fidei & salutis impudentia, cum contrarium non solum,  
absq; omni ratione audacter statuunt, sed & satis pro imperio con-  
trarium sentientibus nescio quæ minitari, non verentur, *Bill. l. 4.  
d. l. c. 20. & seqq. Conc. Trident. sess. 13. c. 2. can. 8. Et hæcenus cum pontificijs.*

*An etiam indi-  
gni accipiant  
verum corpus  
& verum san-  
guinem Chri-  
sti?* CXXXI. Refutatis his, ad nostros redimus Calvinianos, qui  
dum præsentiam carnis & sanguinis Christi negant, ita etiam in-  
dignos, per quos nos non fide infirmos, sed impios & incredulos  
intelligimus, nil nisi nuda symbola accipere, adfirmant. *Beza in  
coll. Momp. Calvin. in ult. adm. Musc. in Loc. com. Gualt. in hom. sup. Iob.  
Pezel. in tract: d. can. Sad. de Sac. mand. p. 159: & seqq. &c. Sicut e-  
nim canibus quibusdam infirum est, sine causa & discrimine la-  
trare; Sic homini inquieto unum studium litigare, Lipsius in lib. de  
una relig.*

CXXXII. Examinabimus proindè & hunc errorem paucis. Ex  
Paulo I. Cor. II. § 27, quisquis ederit panem hunc, aut biberit po-  
culum hoc Domini, εἶναι & erit corporis & sanguinis Domini: &  
§ 29, qui manducat ab bibit indignè κατένρισεν sibi manducat,  
eo quod non dijudicat corpus Domini: E.

CXXXIII. Appono, quod integritas sacramenti non pendeat  
à fine utentis, sed à voluntate instituentis. Non igitur interest,  
inquit *Aug. lib. 3. cont. Don. c. 14.* cum de Sacramenti integritate  
queritur, quid credat vel quali fide imbutus, sit ille qui accipit sa-  
cramen-

**eramentum:** Interest quidem plurimum ad salutis viam, sed ad sacramenti quæstionem nihil interest: Fieri enim potest ut homo integrum habeat sacramentum & fidem perversam: nec vitæ mala aut intentio perversa vitas sacramentum, Lomb. addit lib. 4. sent. dist. 3. se.

CXXXIV. Hinc Aug lib 7. de Bapt. sacramenta communia sunt bonis & malis; salus autem bonis tantum est propria: Boni ergo & mali, uti idem post coll. cont. Don. c. 2. manducant corpus Christi, sed cum magnâ distinctione; isti in misericordiam, hi in iudicium. Hac pertinet & axioma illud: Sacramentum sicut ad vitam accipit dignus, sic ad mortem & iudicium indignus. Bernb. in ep. ad frat. & Tom. 2. in Serm. de C. D.

CXXXV. Porro ex oppositorum regula sic concludimus. Si incredulitas tollit Sacramentum, fides quoq; illud constituet: Atqui posterius hoc absurdum E. & prius. Cum enim falsum est quod consequitur, necesse est ut falsum sit quod præcedit, Aug. lib. 2. de doctrin. Chr. c. 32.

CXXXVI. Tandem produco exemplum, cum hæc vis probationis omnium firmissima Arist. in Top. Scal. l. de poet. Judas accepit corpus Christi & tamen erat incredulus: E. Antecedens probat Matth. 26. § 26. Marc. 14. § 23. ex Sanct: Patribus Theodor, in 11. cap. ep. 1. ad Cor. Aug. serm. 2. de verb. Dom. Chrys. hom. 27. in 1. ad Cor. Cyp. de cœn. Fulgent. l. 9. &c.

CXXXVII. Objiciunt nobis Calviniani duo potissimum, Calvinianorū  
1. quod accipere & rejicere sint opposita, proinde in uno subjecto Object. 1.  
simul & semel locum habere nequeunt. 2. quod corpus Salvato- 2.  
ris nostri sit corpus vivificum, ac salutem omnibus conferens: hinc sequi concludunt, etiam impios vivificari & ad salutem regenerari, quod absurdum.

CXXXVIII. Respondeo in priori oblato argumento committi Solutio prioris  
fallaciam oppositorum. Non enim sunt ἀντιδιγενήτων opposita, quæ se mutuo tollunt, nec ἀντιφατικῶς ἀντιλέγουσα, ita segregata & pugnancia, ut nullo modo conciliari possint: sed possunt simul quam optime stare & in unum subjectum simul cadere. Accipiunt enim impij Christum ore, quoad substantiam; rejiciunt fide, quoad salutarem fructum. Assumunt corpus, sed gratiam per corpus collatam respuunt,

*Solutio post-  
rioris.*

**CXXXIX.** Ad posterius objectum distinguo inter actum pri-  
mum & secundum; inter id quod est per se & quod per accidens,  
quod est simpliciter & secundum quid, seu inter causam naturali-  
ter & voluntariè agentem: Illa semper uno modo agit, *Scal. ex. 5.*  
*& 138. lib. 8. de co. ll.* quia natura semper ordinat ad unum *Arist. 8. Phy.*  
*s. 8, & 18:* Hæc determinatur ad suum subjectum, siquidem non  
quilibet affectus, receptus in quodlibet corpus, ipsum afficit sed il-  
lud tantum, quod aptum natum est afficere, *Scal. ex. 74. s. 3.* unde  
sol quamvis suis radijs agat in corpora hæc inferiora, non tamen  
id facit in superiora, quia non sunt apta nata, *Zab. l. d. calor. cal. c. 2:*  
*& 3.* Nam actio recipitur ad modum patientis, *Scal. ex. 16. sect. 2. A-*  
*rist. l. 2. de an. s. 24.* Cum ergo ipsum patiens, hoc est impij, non sit  
aptum; quomodo actionem Christi vivificam percipiet?

**CXL.** Vivificat deinde corpus Christi non simpliciter, sed secun-  
dum quid, quando nimirum vera fide apprehenditur: ad salutem  
autem per accidens non regenerat, quia obstat malorum impie-  
tas.

**CXLI.** Exemplo res erit illustrior: Panis naturalis semper nutrit  
corpus, defectu verò caloris nativi non solum non nutrit, sed  
& ventriculum aggravat, & toti corpori obest. Sic cibus bonus  
bonum dat nutrimentum, aut si reperit ventrem adversis humori-  
bus repletum, officium suum adeo non præstat, quin potius e-  
undem lædat. Ita & cibus iste spiritualis, qui quamvis vivificet,  
attamen si aliquem reperit malignitate spirituali pollutum, obest,  
non quidem suâ naturâ, sed accipientis vitio, *Chryf. Hom. 17. & 31,*  
*in ep. ad Hebr.* Sic verbum Dei semen illud bonum, *Matth. 13, 26,* est  
pijs odor ad vitam, sed impijs odor ad mortem. Sunt itaque Sa-  
cramenta salutaria rectè sumentibus, lethalia indigne accipien-  
tibus. *Roterod. in sim.* non aliter ac medicamentum hoc curat, illos de-  
bilitat, *Aug. l. 4. cont. Cresc. c. 23.* quia manducat impius corpus Chri-  
sti modo sacramentali, sed non spirituali, *Cyr. Alex. c. 13. in Ioh.*

**CXLII.** *Tantum etiam de præcipuis Eucharistiæ tunc circumstantijs,*  
*tum quoque partibus essentialibus: Superest finis.*

*Finis S. Cene.* **CXLIV.** *Finis cene est duplex, unus respicit Deum, alter nos ipsos.*  
Deum respicit, gratiarum actio pro beneficijs Servatoris, & pecca-  
torum & miseræ nostræ agnitio & confessio. *Aug. l. 3. de Trin. c. 4.*

**CXLV.**

CXLV. Finis respectu nostri iterum geminus, vel enim spectat nos, vel proximum. Ad nos pertinet 1. beneficiorum Christi applicatio, *Vid. Tertull. l. de resurr. carn. 2. Fidei confirmatio. 3. resurrectio, Joh. 6, 45. unde in Aët. Conc. Nic. cœna dicitur symbolum immortalitatis, & Clem. Alex. l. 2. c. 2. pædag. & Orig. l. 8. cont. Celsum nominat καθαρτήριον ἀλεξίκακον, φάρμακον ἀθανασίας, ἀντίδοτον τῆς μὴ διαφθεῖν. Vid. Iren. l. adv. her. 6. 34.*

CXLVI. Videmus hinc quomodo sacramenta nos servent, non ex opere operato, ut impie docent Papani, sed ex applicatione per fidem. *Vid. Luth. Tom. 4. f. 339. & Tom. 3. Lat. f. 278.*

CXLVII. Respectu proximi consistit finis partim in operibus charitatis, partim in religionis nostræ confessione, ut enim ex tessera militis, ex notis oves, ex circumcissione & esu agni paschalis Judæi noti fiunt, sic etiam Christiani in suâ religione cognoscuntur. Hinc circumcissio signum per quod cognoscibile genus Abrahæ ab *Iren. l. 4. c. 3. dicitur, & à Damasc. l. 4. c. 26. signum discriminans posterios Abrahæ à gentibus. Nemo ergo vel apud Pontificios, vel apud Calvinianos, vel alios hæreticos, cœnam, nisi fidem suam & unâ cum fide Christum abnegare velit, sumere debet nec potest.*

CXLIX. Quamobrem cum tantus finium sit numerus, piæ mentes frequentem ejus usum non negligant; Etsi enim Baptismus repeti non debet, ut & circumcissio olim non repetebatur, quia semel iniciamur: attamen cœna sæpius repetenda est, sicut & pascha in V. T. sæpius edebatur, & quia fides semper confirmanda & augenda. Qui ergo contemnit Sacramentum fidem in se non habet, inquit *Aug. l. 13. cont. Faust.* qui vulnus habet medicinam quærit, nobis est peccati vulnus, ergo medicinam in venerabili & cœlesti hoc mysterio quæramus, ait *Ambr. lib. de Sacram.*

CXLIX. Et tantum de quatuor causis tam internis quam externis, hujus Sacramenti.

CL. Antequam autem disputationem hanc concludamus, colloquii loco, *quinam ad εὐχαριστίαν admittendi, agemus. Progre-* *diemur per ἀρσιν, ad Ἱεσιν.* *Quæstio: qui-* *nam ad Cœ-* *nam Domini-*

CLI. Removemus ergo initio *Turcas, Judæos, & alias gentes infi-* *deles. Ut enim in V. T. Exod. 12, 48. ab esu agni paschalis exclu-* *debantur.* *cam admit-* *tendi?*

debantur incircumcisi; ita & hi ceteri, qui extra gremium Ecclesie  
nati, nec lavacro aquae regenerati, accessum ad Sacramentum hoc  
non concedimus.

CLII. 2. Relegamus ab hinc *mortuos seu jam defunctos*, qui que non  
amplius in vivis sunt. Etenim & his sacramento utendi facultas ac  
potestas adempta est; & omnes illius usus seu fines post hanc vitam  
frustranei & inefficaces, quemadmodum & illis Evangelij prædi-  
catio, annuntiatio, & remissio peccatorum, cujus tamen Sacra-  
menta figilla ac signa sunt, inania sunt.

CLIII. Tertia abjicimus, *furiosos, mente captos & infantes*, quia 1.  
hi omnes propter defectum justæ rationis se probare non possunt: 2.  
neque mortem Domini annunciare; 3. neque corpus Christi di-  
scernere, quæ tamen requisita omnia Apostolus I. Cor. 11, §. 24.  
& seqq. necessario requirit.

CLIV. Quarto *συχαρισίας* omnibus in peccatis contra consci-  
entiam perseverantibus *idololatriis, blasphemis, contemtoribus verbi, a-*  
*dulteris, avaris, furibus & alijs notorie flagitiosis*, qui scandala Ecclesie  
præbent manifesta, nec resipiscunt serio, denegamus. Ratio est, quia  
hæc cœna convivas dignè se præparantes, qui Christo spiritu & fi-  
de vivere velint, requirit. 2. quia cibus & potus hic fidelibus ani-  
mabus destinatus pollueretur, fœdus Dei profaneretur, & marga-  
ritæ porcis projicerentur Matth. 7, 6. 3. quia tales nobis temere in-  
dulgentibus & partem pœnæ in nos derivantibus, sibi edunt judi-  
cium, & iram Dei in se magis magisque aggravant, dum cœna hæc  
indigne utuntur. Hinc Deus severissime Lev. 7, §. 20. & 21, ne a-  
nima polluta edat de carnibus hostiæ oblatae, prohibuit. 4. Quis  
hi pro membris Ecclesie veris non habentur. His ergo rationi-  
bus motus, sacerdos quidam, referente Apulejo, consuevit cum  
esset sacrificia auspicaturus, dicere *τις τῆδε?* cui respondebatur  
*καλοὶ καὶ ἀγαθοὶ*, ac si diceretur honesti ac boni cum polluti & indi-  
gni abierint.

CLV. Tandem rejicimus à cœnæ usu *excommunicatos*, nisi prius  
cum Ecclesia reconciliati pœnitentiam agant seriam. Edunt, si-  
quidem & isti corpus indigne & proinde rei fiunt corporis & san-  
guinis Christi, quod ne fiat summo cavendum studio. Quare Je-  
hovah Lev. 22, 10, expresse asserit, quod omnis anima accedens ad  
ea,



ea, quæ filij Israel obtulerint Deo, in quâ est immunditiâ, sit pe-  
ritura. Juste igitur à Remigio in glosâ super Matth. his æternum  
Væ annunciat.

CLVI. Hos ergo omnes à cœna relegamus, qui aliquo modo  
versiculis his vulgaribus inclusi:

*Ebrius, infamis, erroneus atq. furentes;*

*Cum pueris, Domini non debent sumere corpus.*

CLVII. Proinde concedimus & ad cœnam admittimus solos  
Christianos, in Christum baptizatos & vitam emendaturos.

CLIX. Atque sic cum hac quæstione totam hæc disputationem  
concludimus, quam pro viribus & quantum Deus dedit tractavi-  
mus. Vincat Veritas.

CLIX. Quod superest: concludimus ἵνα ἡ hæc παρρησίαν quæ à  
quibusdam D. Bernhardo ascribitur:

*Bone pastor panis vere,  
Iesu nostri miserere,  
Tu nos pascere nos tuere,  
Tu nos bona fac videre,  
In terrâ viventium.*

*Tu qui cuncta scis & vales,  
Qui nos pascis hic mortales,  
Tuos tibi commensales,  
Coheredes & sodales,  
Fac sanctorum civium.*

FIAT HOC FIAT O JESU CHRISTE

*Interea Dominum conjuncta voce precamur,  
Nos verbo servet sanctificetq. suo.*

*Μόνη τῶν Ἰεσῶ δόξα.*



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



AB: 15067

ULB Halle  
003 019 209


3



36.







24

DISPUTATIONUM THEOLOGICA  
RUM DE PRÆCIPUIS FIDEI  
CHRISTIANÆ ARTICULIS,  
XI.

# DE COENA DOMINI,

*Quam*  
In inclutâ Leucoreâ  
Regente ac dirigente auctore Christo,  
SUB PRAESIDIO

## VVOLFANGI FRANZII,

SS. Theologiæ Doctoris & Professoris  
in Incluta Academia Wittebergen-  
si publici.

*Collegis examinandam proponit*

HIERONYMUS NYMMANUS VVite-  
berga - Saxo

*3. Cal. Maj. horis consuetis.*

Chrysoft. Hom. 82. in Matth.

*Credamus ubiq. Deo nec repugnemus ei, est sensui & cogitatio-  
ni nostra absurda esse videatur quid dicit; Verba ejus teneamus,  
nam verbis ejus defraudari nō possumus, sensus vero noster deceptu  
facilimus est: Illa falsa esse non possunt; hic sapius atq. sapius  
fallitur. Quoniam ergo ille dixit, hoc est corpus meum;  
nullā teneamur ambiguitate; sed credamus & fidei oculis  
id perspiciamus.*

VVITTEBERGÆ,  
Typis Johannis Gormanni. Anno 16 2.